



Disputatio juridica inauguralis de transactionibus

<https://hdl.handle.net/1874/343794>

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
TRANSACTIONIBUS,

QUAM
FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

M. GERARDI de VRIES,

Philosophiæ Doctoris, ejusdemque Facultatis in Illustri
Academiâ Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatûs Academici consensu, Nobilissimæque
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis
ritè ac legitimè consequendis,

Eruditorum examini subicit

HENRICUS CREMERS, GRONINGENSIS.

Ad diem 8. Julii horâ locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, clō Ioc xcii.

DISPUTATIO JURIDICA
IN ACADEMIA
DE
TRANSACTIOIBUS,

FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

M. GERARDI de VRIES,

Philosophiae Doctoris, ejusdemque Facultatis in Illustri
Academiae Ulrechtinae Professoris Ordinarii,

NEC NON

applicatae Praesidis, et Academiæ consensu

Publicae Juridicae, et

PRO GRADU DOCTORATUS

summius in UTRIQUE JURE Honoribus & Privilegiis

illis ac legitime consequendis,

Prætorum eorumque

HENRICUS GREMERS, GRONINGENSIS



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academici
Typographi, cl. lxxxi.

DISPUTATIO JURIDICA

INAUGURALIS

DE

TRANSACTIONIBUS.

CAPUT I.



Disputatione Inaugurali de transactionibus acturus nihil de etymologia nominis præludam, cum plerique hoc soliti minus utilius, quam futilius & nonnunquam parum decore de his arguentur. Transactio igitur specialiter in hac materia sumpta definitur de re dubia & incerta terminanda non gratuita conventio, *l. 1. D. l. 2. l. 38. C.*

b. t. differt autem per duo capita à pactis, quod illa intercedat semper de re dubia & controversa, *l. 1. b. t.* & nunquam transigatur nisi dato, promisso, aut retento aliquo: *l. 38. C. b. t.* Paciscimur autem de re certa quantocunque pretio *l. 6. §. 1. ff. de his qui not. infam.* de re controversa & litigiosa etiam pacisci dicimur; *l. 7. §. 13. ff. cum seq. de pact. l. 18. C. b. t.* itaque hæc non est perpetua differentia à pactis; verum datio & promissio interveniens continuam oppositionem inter pactum donationis, & transactionem constituit. *l. 3. ff. de repudiand. vel abst. hered. l. 6. ff. de solut.* Si materia dubia & incerta autem subsistente pactum dicatur fieri dato promisso aut retento aliquo, latiore sumptum vocabulo, pro transactione ponitur *l. 28. D. de pac. l. 1. C. eod.* non quod pactum se habeat respectu transactionis ut genus ad speciem, sed quia trans-

4 DISPUTATIO JURIDICA

actio etiam pactione fit, uti aliis modis, quos sequenti capite videbimus.

CAPUT II.

TRansigimus autem vel nuda conventionem, quale exemplum habemus in *l. 2. l. 15. D. hic.* & tale pactum quamvis ipso jure actionem non tollat, sed ea nihilominus actori integra maneat, exceptionem tamen reo parit ad summovendum actorem, si contra placita litem persequi velit *l. 19. C. hoc l. 21. C. de pact.* cæterum ita reus utilem exceptionem habet, si paratus sit implere quæ ipse promissit. Alioqui replicabitur dolo *dist. l. 19. dist. l. 21.* & hæc obtinent in pactis, in quibus idem sibi paciscitur qui à lite discedit, si dando vero vel promittendo aliquid Paciscar, ut alter à lite discedat. His promissis impletis, vel dato, de quo conventum, *l. 33. C. hoc tit. contractus innominatus incipit, & civilis actio præscriptis verbis, mihi, in id quod interest, parte contra conventionis fidem non desistente, competit l. 6. C. hic. tit.* vel sit per stipulationem, & tunc ut actio ipso jure tollatur, acceptilatio intercedat necesse est *l. 4. C. hoc tit.* competit autem stipulanti actio ad id, quod conventum quod per modum pœnæ interdum adjicitur, & tunc liberum erit actori, reo pacti fidem non servante, pœnam in stipulationem deductam petere *l. 10. §. 1. ff. de pact.* non autem & simul se exceptione pacti tueri, nisi hoc simul expresse conventum *l. penult. D. hoc tit.* si jurata vero sit pactio vel transactio, & major viginti annis contra eam fecerit placet eum cujus interest odio perjurii, & se exceptione pacti tueri, & pœnam, consequi, & datum repetere præterea eum qui fidem rupit, notari infamia *l. 41. C. hic.* quod nostris & gallorum moribus non observari testantur. *Zyp. not. juris Belg. de pœnis versu penult. autumnus ad dist. l. 41. ibidem Groenwegen.* Transactio autem ut pure fieri, ita & conditionem recipere potest *l. 9. C. h. tit.*
& tam

I N A U G U R A L I S. 5

& tam generalibus, quam specialibus verbis transigimus. Neque enim necesse esse omnes lites aut negotia recitare, demonstrat *l. 29. l. 31. C. h. tit.* scriptura cum semper fere ad probationem faciliore, intercedat *l. 4. dict. de pignoribus*, nisi aliud conventum *l. 17. ff. de fide instrumentorum*, ad essentiam transactionis non pertinet quod si per simulationem aliud scriptum, aliud inter eos actum, magis quod actum, quam quod scriptum, inspiciendum est: *l. 21. C. h. tit.*

C A P U T III.

QUandoquidem transactio consensu fit, hinc intelligimus omnes, qui nullum intellectum aut animi iudicium habent, ab hac prohiberi. Corporis vitium non obstat, si mente sanus sit. *l. 27. C. h. tit.* sed neque pupillos pubertati proximis transigere posse sine tutoris auctoritate existimo. Nam etsi vi ingenii pullulantis, recte paciscantur, ne quod debent, à se peratur. *l. 28. pr. D. de pactis.* Tamen nec promittendo se obligant, nec remittendo alios liberant. Sine quibus tamen transactio nulla est *l. 33. C. h. tit.* nec hic obstat, quod favore ætatis, quatenus pupillis prodest, sustineatur. *arg. l. 6. l. 34 § 1. de contra empt.* Plus est: dicimus ne puberes quidem curatorem habentes, sine curatorum suorum consensu transigere posse. Cum vero ubi aliquid datur, aut remittitur, alienatio fiat: Certique juris sit minores non posse alienare *l. 26. ff. de adm. tut.* quæstio desinit An autem ubi minor aliquid tantum promittit transactio sine curatoris consensu valeat. Quod nego *l. 3. C. de in integ. rest. minor.* minores vero sine curatore existentes, (cum liberam rerum suarum administrationem habeant,) transigere possunt talemque transactionem ipso jure valere est, *arg. l. supradieta 3. C. de in int. res. min.* sunt & qui alieno nomine recte transigunt, de procuratore in rem suam dato, cum domini loco habeatur, *l. 13. §. 1. de pact.* & ma-

gis in propria, quam in aliena causa transigere videatur. *l. 19. C. de procur.* ut & de procuratore specialiter ad hoc dato, dubium non est. Procurator, cui generalis bonorum administratio commissa est, cum omnia liberè administret. *l. 58. ff. de procu.* (quæ & lex testatur nullam differentiam inter adjectionem clausulæ cum libera in mandato generali & ejus omissionem) recte transigit. Quod tamen sic accipimus, non ut valide transigat, ubi paratas habet probationes, verum probationibus deficientibus. Si enim in levi dubio a lite discedit, modico accepto. Multo minus si gratis remittit. Magis profundit quam administrat. *l. 1. D. de don.* huc referendos & tutores & curatores, nam & ipsi de rebus pupillorum dubiis valide transigunt. *l. 48. §. ult. D. de adm. tut. l. 54. §. ult. ff. de furt.* uti & si debitor bonis evidenter labatur, aut litis impensis excedentibus, nihil aut parum sint consecuturi. Cum non deminuendi Patrimonii, sed decidendi causa, recte transigunt. *Dist. l. 48. §. ult. de adm. tut.* ita *Gail. 2. observ. 72.* illud in confesso est, si per transactionem immobilis pupillorum aut mobilis ex earum numero quæ recensentur. *l. 22. C. de adm. tut.* transferenda sit, eo casu judicis decretum interponendum esse. *Dist. l. 22. l. 4. C. de proced. minor non alien.* in eadem quoque causa sunt administratores civitatum, qui de re incerta liteque dubia recte transigunt, rem autem certam & indubitatam frustra remittunt. *l. 12. C. hoc tit.* defensores autem aut actores civitatum, cum litium exercendarum causa dati sint, non recte transigunt. *l. 7. C. hoc tit.* Cum nec juramentum deferant, nisi speciale accesserit mandatum *l. 34. D. de jurejur.* Procurator sive rationalis principis ne eo quidem casu quo tutores & curatores, citra speciale mandatum principis transigit. *l. 13. D. hoc tit.* nec admitti posse puto restrictionem Bartoli & glossæ, propter generalitatem, *dic. l. 13.* affirmant hi Rationalem, sine speciali principis mandato transigere posse, in casu, quo retenta re principis vicissim modicum aliquid det. Reliquum in hoc capite est, ut definiti-

I N C A U T I G U R A L I S. 7

finiamus, quatenus Pater in rebus filii recte transigat. De bonis itaque filii emancipati, cum extranei loco habeatur, §. 3. *ins de hered. qual.*, non transigit. *l. 10. D. hic.* utique jure Patriæ potestatis, nam legitimum ejus tutorem, ut alios transigendi potestatem habere dubium non est. Quod si filius in potestate est, distingui cupio peculia, & cum in Castrensi, & quasi Castrensi, filius loco Patrisfam. habeatur. *l. ul. C. de inof. testa.* Patrem de his transigere non posse non dubito. profectitii vero cum pleno jure sit dominus Pater de eo transigit, de adventitiis, quorum usufructus ad eum pertinet, cum & horum bonorum legitimam administrationem habeat. *l. ul. C. de bon. qua lib.* quidni hic illi quod cæteris administratoribus concessum est. Ut tamen adhibenda sit distinctio, ex *Dic. l. ul. §. 3.* videlicet ut si filius justæ ætatis sit, etiam consensus ejus adhibeatur, *arg. l. 18. §. 3. de Castren. Pecul.*

C A P U T I V.

Satis jam actum arbitror de his qui transigere possunt, square ad materiam transactionis progrediar, quæ est res dubia & litigiosa, de quibus scilicet vel nunc lis est vel esse potest, vel metuitur. *l. 1. D. hoc tit. l. 2. C. hoc tit.* nam litem motam esse nihil necesse est. Satis est, si esse poterit, & reus ob id aliquid dederit, aut caverit. Quia lis metuebatur. exemplum, in *d. l. 2. C. hoc tit.* quare quod transactionis causa datum est, tanquam indebitum non repetitur. *l. 2. C. de Cond. indeb. l. 6. C. de juris & facti ignorantia.* quippe non minor vis est transactionis, quam rei judicatæ, quod aurem ex causa judicati solutum est, non repetitur. *l. 1. C. de Cond. indeb.* Plane si per evidentem calumniam transactio sit expressa, tunc transactio inspecto exitu nulla est. & repetitio datur. *l. 6. §. 5. D. de Cond. ind. l. 8. §. 20. D. hoc tit.* quia non tam transactio, quam sordida concussio facta in-

tel-

telligitur. *l. 1. §. pen. D. de Calum. ruldem. C. ad hunc tit. sed*
 & porro, etsi nec lis sit, nec metuatur si tamen alia ra-
 tione dubia & incerta res sit, Transactio valet. Veluti si
 spes fideicommissi propter incertum modico præsente ac-
 cepto remittatur, *l. 1. C. de pac. l. 11. ff. hoc tit. idem si cui*
ususfructus aut usus aut salarium relictum annuum propter
incertum vitæ tempus. l. 8. §. 23. D. hoc tit. quam ob rem
dissentio à Soesio ad hunc tit, nu. 15, neganti res dubias
alia ex causa quam litis rem dubiam ponere transactionis
materiam. De re autem certa, sive de negotio quo nul-
lum dubium, nec lis nec metus litis intercedit Transactio,
nullius momenti est. Et ea de causa de re judicata non tran-
sigimus. l. 23. §. 1. D. de Cond. indeb. l. 32. C. hoc tit. junct. l.
1. de re judicata, cæterum ut transactio post rem judicatam
interposita intelligatur, nullius esse momenti, necesse est ut
sententia jure subsistat. dicta l. 23. §. 1. Condit. indeb. nam
ubi sententia non valet, nec indicatum intelligitur. l. 4. §.
judicatum D. de re judicata. quod plus est non sufficit, sen-
tentiam valide esse prolatam, nisi & transferit in vim aucto-
ritatemque rei judicatæ: nam si à sententia aut appellatum
sit, aut appellari possit, adhuc de eo negotio transigi po-
rest. l. 7. D. hoc tit. l. 32. C. hoc tit. quod facultas appellan-
di, idem restitutio in integrum operatur. l. 42. D. de min.
§. tit. C. si adversus rem judicatam concludamus igitur cum
Ulpiano in dicta l. 23. de Cond. indeb. quod rescriptum est,
post rem judicatam interpositam transactionem nullius esse
momenti. Id tunc locum habet, cum de sententia indu-
bitata, & quæ nullo remedio attentari queat, transigitur.
Instrumenta garantigiata, quæ paratam habent executio-
nem, eodem loco, quo rem judicatam habenda arbitror.
Idem dicendum de confessione judiciali, quoniam & ea cer-
ta est, cum confessi in jure pro judicatis habeantur, & sua
quodam modo sententia condemnentur. l. 1. D. de Confess.
nisi forte confessio per errorem facta, quia non fatetur qui
erravit. l. 2. eodem tit. admittunt porro transactionem actio-
nes

nes omnes sive in rem sint, sive in personam, nec tantum actio in rem specialis, l. 9. l. 32. C. hoc tit. sed etiam universalis, l. 15. C. hoc tit. quærela inofficiosi item actiones præjudiciales, ubi de statu & conditione personæ agitur. l. ult. C. hoc tit. ubi admittitur transactio. In causa liberali, etiam contra libertatem, non inter servuum & dominum, quippe inter hos transactio non valide consistit, sed inter dominum & eum qui servum in libertatem asserebat, ut desistat. Potest & servus transigere cum domino, non ut liber fiat, nam hic non est modus dandi libertatem, sed ne ipsi amplius de libertate controversia fiat. l. 53. D. de re judic. l. 4. D. de manumiss. quæsitum an super causa matrimoniali transactio rata haberi debeat? Et si quidem matrimonii conservandi causa intercedat, non video rationem, quare ea non sit valitura & fieri sæpe, ut quis spe lucri ad matrimonium invitetur, demonstrat. l. 71. §. 1. D. de Cond. & demon. cæterum interposita transactio, ut aliquis à matrimonio discedat, cum hoc indissolubile jure civili sit, non valida est. Si vero, ut à sponsalium prætentione desistat, de hac valide transigitur cum supra dicta ratio in his non obstat. Diximus de actionibus ex contractu valide transigi, imo si ex maleficio nascatur actio, licita tamen est transactio cum Civiliter agitur. l. 7. D. de Cond. fur. l. 56. §. 5. de furt. licita inquam de maleficio jam commisso, nam si nondum commissum est, & quid detur, aut promittatur, ne fiat, aliud juris est. l. 7. §. 3. l. 27. §. 3. 4. de pact. atque hic transactionis interdum ea vis est, ut per eam ipso jure tollatur actio. Ut actio furti injuriarum, quia lex 12. tabularum de his expresse pacisci permittit, l. 7. §. 14. l. 17. §. 1. D. de pact. enimvero etsi actio post transactionem nulla superest, si tamen actio talis sit, ex maleficio, ut damnatum sequatur infamia, quales furti, vi bonorum raptorum, injuriarum, & de dolo, l. 1. de his qui not. infam. Reus qui transigit in judicio liberatur quidem ab actore sed non effugit notam infamiae. l. 4. §. ult. l. 5. l. 6. §. 3. dicto tit. quod si quis gratis

Paciscatur, aut pretio dato prætore auctore, non notatur infamia *d. l. 6. §. 3. 4. dicta*. Cæterum id sciendum pertinere ad transactiones, quæ fiunt post in jus vocationem, ubi jam in jure apud prætorem res agitur nam ideo hi infames fiunt, quia pro confessis habentur. Confessi pro judicatis. *l. 1. d. de Confes.* secus igitur erit si transactio facta sit judicio nondum instituto nam ne vera extrajudicialis confessio facit, ut reus habeatur pro judicato. *l. un. C. de Confes.* atque hæc est differentia inter reos ex contractu famoso & ex maleficio *§. ex quibusdam inst. de pœn. temere litigantium*. Hactenus quemadmodum transactio valeat. De delictis privatis, quatenus agitur civiliter, jam de criminibus tractabo. De quibus generalis Regula, pactiones non fiunt nisi de re privata. *l. 6. §. si Paciscar. l. 38. D. de pactis*. Sed miserationis tamen ratio atque intuitus movit Diocletianum & Maximianum rescribere, in *l. 18. C. hoc. tit.* transigere vel pacisci de crimine capitali, excepto adulterio permissum est, in aliis autem publicis criminibus quæ sanguinis pœnam non ingerunt, transigere non licet, citra falsi accusationem transigere itaque aliquo accepto vel promisso, vel pacisci, reo criminis capitalis permissum est, & accusatori cœptam accusationem deferere. Reo itaque quovis tempore, & tam ante, quam post institutum judicium, transigere permissum est, accusator vero cum minæ de accusando speciem concussionis contineant *l. 2. D. de Concus.* ante accusationem sanguinis in judicio non recte transigit. Cum ratio miserationis quæ est legis Diocletiani demum locum habeat, propter periculum talionis, quæ ex secutura mox in crimen subscriptione cum manet *l. ult. C. de Calumnia. l. ult. C. de accusato.* effectus hujus transactionis est, ut neque reo neque actori noceat. Id est ut reus non habeatur pro convicto, quod alias fieret. *l. ult. D. de prava nec accusator in pœnam, raleonis, prævaricantium, aut Senatusconfulti turpyliani, incidat.* Deinde reo prodest ad hoc transactio, ut idem ille accusator repetere accusationem non possit. *l. 1. D. de bonis*

eorum qui ante sent. non tamen ob id fit præjudicium causæ publicæ, siquidem privata pactione publica coercitio tolli non potest. *l. 5. ff. de pact. dot. l. 51. §. estimato ad l. aquil. & cum cuius è populo pateat iudiciorum publicorum accusatio, ab omnium accusationibus non liberatur. §. 2. inst. de Publ. iud. majestatis & Parricidii crimen, quin capitale sit, & poenam mortis inferat, nullum dubium est. De utroque ea ratione transigere licere arbitror. arg. l. 18. C. hoc tit. Non obstat quod conscii criminis majestatis, qui non detulerunt, morte plecti jubentur. *l. 5. §. 6. 7. C. ad l. Fuliam.* etenim conscius, siue probationes habet, siue non, debet ista crimina detegere. Accusare tamen non tenetur *tot. tit. C. ut nemo invit. accus. tenetur* de adulterio, quamvis capitali poena multetur, transigere non licet. *d. l. 18. in fine* exceptionis rationem puto, quia lenocinii quamdam speciem in se continet. Et totum matrimoniorum ordinem in quibus civitas maxime consistit, intervertit in fine dictæ legis *decima octava* excipi non puto, crimen falsi neque enim hoc sensus dictæ legis intendit, sed intelligenda sic est, transigere non licet quin in falsi accusationem incidat. De publicis autem dubiis rebus non solum non licet transigimus, sed etiam de privatis. De controversiis enim quæ ex testamento oriuntur, quo nomine etiam codicillos completor, placet non aliter transigi, quam inspectis cognitisque verbis testamenti *l. 6. D. hoc tit. l. 1. §. 1. quem test. aperti l. 12. §. 3. D. ad SCultum Trebel. l. ul. C. de rebus credit. & jure jurejurand.* non obstat. *l. 12. ff. hoc tit.* nam non est audiendus, qui facta inspiciendi copia causatur. De eo volo cogitasse, quod prima instrumenti parte, non etiam quod posteriore parte relictum. Apparet vero ex ipsis legis verbis, transigenti testamenti inspiciendi fuisse factam copiam. Atque ab eo lectum inspectum ositanter quod suæ imputare debet negligentia atque hæc est exceptio Regulæ quæ traditur, in *l. 19. C. hoc tit.* sub prætextu instrumenti post reperti transactionem bona fide factam non rescindi facit. *l. 3. D. §. 1.**

hoc tit. nec minus rata esse debet transactio, quod adjecta non sit clausula cognitis inspectisque verbis testamenti. Dummodo doceatur contrahentes gnaros fuisse eorum quae testamento cauta erant, licet tunc cum interponebatur transactio forte lectum non sit, & hoc quandoque praesumendum est uti omnino credendum est, fuisse omnia legitime acta in l. 78. §. ult. ad SCtum Trebellianum, nec ex eo magis transactio de testamentis valet, quod partes inspectioni testamenti renuntiaverint. Cum legi prohibenti aliquid fieri aut quid requirenti ad actus alicujus substantiam renuntiare non licet. l. 5. C. de leg. l. 6. de pact. quamvis autem non recte transigamus de dubiis ex testamento ortis, nisi inspectis cognitisque tabulis testamenti. Tamen Pacisci de his licere l. 6. D. hoc tit. l. 1. D. Test. quena aperi solummodo transactionem prohibens demonstrat. Aliquid singulare à pactis, huic proprium, ut ultimae hominum voluntates exitum haberent ex qua ratione est & prohibitio transactionis de alimentis testamento relictis sine auctore praetore l. 8. C. hoc tit. & haec intelligenda de futuris, nam praeterita alimenta proprie non sunt alimenta. l. 8. C. hoc tit. l. 8. D. hoc tit. Rationem hujus juris obiter indicat. l. 8. D. hoc tit. nimirumne homines tenues, & exiguae fortunae, quibus alimenta plerumque relinquuntur neglectis futuris alimentis modico accepto praesente contenti facile transigant. Cui accedit & favor ultimarum voluntatum, ut illae exitum suum secundum mentem testatoris habeant, caeterum quin legatarius species mutare loco pecuniae alimenta & contra modo non fiat contra intentionem testatoris & sic transigere possit dubium non est. Dist. l. 8. §. ult. idem statuendum de mortis causa donationibus cum supra dicta ratio in his obtineat, de alimentis autem inter vivos relictis, quin transigi possit, citra praetoris auctoritatem, dubium non est.

C A P U T V.

CUM de materia transactionis actum est; superest ut videamus quæ sit ejus vis ac potestas est quidem illud imprimis statuendum est, transactionem iis duntaxat nocere aut prodesse à quibus interposita est aliis nequaquam, *l. 25. C. de pact. l. 1. C. h. tit.* occurrunt quidem casus ubi etiam tertio prodest, vel nocet: sed non alii quam ubi manifesta id suadet æquitas. *l. ult. D. h. tit. l. 3. C. de nova l. 14. D. eodem.* Cæterum transactio inter ipsos transigentes eandem vim habet quam res judicata *l. 20. C. h. tit.* & propterea, causa transactione terminata, non retractatur: adeo ut nec rescripto principis causæ transactione decisæ resuscitentur *l. 15. C. h. tit.* in tantum autem transactione lis finitur, ut allegans causam transigendi nullam fuisse, sequæ non obligatum non audiatur *l. 15. ff. h. t.* quia hoc ipsum ut à lite discedatur, justa satis causa videtur *l. 65. §. 1. D. de cond. indeb.* & ea de causa instrumenta noviter reperta allegans, quibus veritatem rei elare ostendere possit. Transactionem bona fide factam non facit rescindi: *l. 19. C. h. tit.* quamquam ex falsis instrumentis initam deceptus retractare possit *l. pen. C. eod.* quin utriusque pœnitentia tamen transactio rescindatur, dubium non est, etiam re non integra *l. 14. C. h. tit.* unius tamen pœnitentia rescindi non potest nec si res integra sit. *l. 39. C. h. tit.* Rescinditur quoque transactio cum minore læso *l. 20. l. 25. l. 35. C. h. tit.* an autem ob enormem læsionem rescindi possit transactio ex ratione *l. 2. C. de rescindenda venditione*, inter interpretes controversum est negantium opinioni autem faveo. Nam res judicata prætextu læsionis cui tamen transactio comparatur, non rescinditur. *l. 4. C. de re judicata*, solum etiam ex causa transactionis non repetitur etsi nihil debitum sit *l. 65. §. 1. D. de condic. indeb.* transactio dolo malo facta etiam potest rescindi *l. 4. l. 19. C. h. tit.* non est hic ipso jure

14 DISPUTATIO JURIDICA INAUGUR.

nulla nam dolus dans causam stricti juris conventionem non reddit invalidam *l. 36. de verb. obligationibus*. Jurata transactio non tantum servanda sed earum fidem infringenti duplicem adjunxit pœnam *l. 41. C. h. tit.* nempe infamiam secundam pœnam conventam solvat & tamen agere non possit generalis clausula quæ subjici transactionibus solet, omnia esse amicaliter transacta & terminata, non plus operatur, quam ut de omnibus illis censeatur transactum, quam quæ in præsentem transactionem nominatim deductæ sunt *l. 9. D. h. tit. l. 31. C. h. tit.* illud autem est extra controversiam positum transactionem generalem factam super actione generali omnes species ejus actionis comprehendere quamvis postea repertæ sunt. *l. 19. C. h. tit.*

F I N I S.



Doctis

Doctissimo Ornatissimoque Domino

D. HENRICO CREMERS,

cum in celebri Academia Ultrajectina juris utrius-
que Lauream adipisceretur.



Haec mihi placidos donar as carpere somnos!
Dixerat & fesso Cynthia carpe tuos.
Musa vocat: jam somnas ajo mihi clausis
ocellos:

Lunaque nocturnos quæ modo ducit equos
Blandius illa vocans, inquit, ductura triumphos
Vado, quid elangues, blandius illa vocat
Musa titillabat, monstratque cacumina Pindi:

Ecce triumphantes psallere cerno deas
Protinus exiliens quæ tanta licentia dixi
Latitiæ: Paridis nil nisi cantus erat.

Dicite Pieridam, mihi dicite quæso sorores?

Cur quatit immotum Vestra camæna polum.
Forsthan ascendunt Capitolia celsa Camilli?

Forsthan Aeneadum Fabius unus adest?

Nil memoro Parnasse canis majora! lycæi
Egregrium columen Blanda Thalia canis?

Ille erat HENRICUS dum juris pulpita scandit:

Maxima latitiæ pars erat ille tuæ.

Omnia vincit amor; musarum victus amore

Exsuperans omnes: nec sinit esse parem.

Sapius audiui, dormisti in vertice Pindi

Plenaque Castaleis pocula fudit aquis.

Tu CREMERE sapiis præ multis altius unus

Et tibi plus mentis docta Minerva dedit.

Musa

Musa secundavit, tenero tibi favit Apollo:
Quæ tua fugebat pectora, Clio fuit
Scilicet affulsit Venus, illa Jupiter hora
Delia felici, solque fuere loco.
Dexter ad eloquium viridi tendebat ab ævo:
Fortia caussidici natus ad arma fori.
Non Pythios tripodes: non Delphica somnia jactat:
Sacra Themis: sacrum quidque loquetur; erit
Nec minus HENRICUS GRONINGÆ sacra sonabit
Plenaque nectareis pocula fundet aquis
Hoc decet ingenium musarum nectare plenum
Non rapient animum circea pocla tuum
Ecce prutanæum palmam tibi porrigit ensis
Delphicus à musis porrigiturque tibi
Quid tamen ista moror juris monumenta recludis
Sive libros Baldi, Bartole sive tuos
Quid sumenta juva furiosi Mæw Achillis
Discere, vel si quid cæcus Homerus habet
At meliora Themis tibi porrigit; ista capefcis.
Convenit ingenio doctæ Cremere tuo
Ite procul ficto Κορυθαίονος Hæctora versu
Narrantes. Themidos sacra CREMERUS habet.
Quidquid ages sacrata Themis tua facta probabit
Dummodo si vires experiare tuas.
Vive diu Felix! juris spes magna. GRONINGÆ
Commoda cum tuleris plurima, plura feras.

Ita gratulabundus cecinit

HENRICUS SPOOR, Phil. Doct.